

I. Melanchthonis & Chemnitii de bono magistratu iudicium: Carolus IV. ex illo qualis? Eius laudi obrectantes qui? cur? quomodo? II. Theodorici de Niem cuius nota scriptor? cur in Carolum iniquus? hic cur Papali impotentia cedat? ille Ruperto additior. III. Caroli obrectatores defensores: IV. crimen precipuum: Wenceslaus successor datus. Huius studia, virtutes, facta: V. morum mutatio unde? in ludiones qua occasione inciderit? VI. Carolus purgatus: eius elogia, sanctum vitæ propositum, pia educatio, diuinarum litterarum studium, & cognitio, somnium memorabile, fastidium ludicrorum, oblectamentorum. VII. Carolus rectorum studiorum exemplum: institutio: oratorum nomina: inuitatio ad panegyrum.



Tolerandos esse gubernatores, si sint fideles, & eorum errata vel tegenda, vel sananda esse, (a) Melanchthon iudicat. Fideles autem appellat, qui mediocriter student officium facere, & plerumque iusta agunt, & lapsi respiciunt. Addit sententiæ huius rationem: videlicet turbare diabolum poltias, & naturam humanam per sese infirmam esse in gubernatoribus, & in populo: vtrumque licentiam naturaliter amare, & odisse legum & disciplinæ vincula: in tantis Diaboli insidiis, & tam multiplici infirmitate hominum retinere mediocrem statum, magnum Dei opus esse: nullam humanam sapientiam, & virtutem parem esse tantis rebus. Confirmat, & illustrat idem (b) Martinus Chemnitius: In iudicandis, ait, magistratuum actionibus adhibendus est candor, ne in explorandis causis & fontibus negotiorum per calumnias deformemus magistratus; sed leues offensiones, & infirmitates honesta animi moderatione toleremus, & communi tranquillitati condonemus: ita tamen ut non probemus vlla vitia. Quorum summorum virorum iudicium si in æstimandis principum & imperatorum Germanicorum meritis sequi velimus: CAROLVS IV. multa laude ornandus videbitur; nec facile audiendi, qui secus de eo iudicant. Eius enim autoritate, cura & providentia Germanici imperii statum, maxime superioribus temporibus laborantem, ac pene profligatum, satis constat, recreatum atque ornatum; atque ea lege, quæ AVREA BVLLA vocatur, ita confirmatum esse, & munitum, ut minus ex eo tempore Pontificiæ libidini patuerit, & factionibus intestinis. His autem qui fauerunt, publica incommoda in sua vertentes commoda, & ex rerum perturbatione captantes opportunitates, non est mirum, dicaces fuisse in boni PRINCIPIS studia & instituta, votis & destinationibus ipsorum contraria Tales non defuisse illo temporum tractu, quo Carolus rerum potitus est, arguunt tot obstan-

(a) LL. de Lege Dei, (b) adLL. Melanchth. P. II. p. 63. edit. 1690. fol.

obstantes difficultates, per quas illi ad summam rerum eluctandum fuit, æmulo-
rum multitudo, & potentia, nec non factionum pertinacia; quæque fata eius, &
successoris imperium secuta est, rerum conuersio, & temporum asperitates. Ut
quisque itaque factioni inimicæ addictior, vel successoris vitii infestior erat, in
Carolo quærebat, quod damnaret. Submotosalii malis artibus æmulos, crimi-
nabantur: diminutum imperii corpus vniendi & pacandi specie, querebantur alii;
nonnulli, ritu ingenii humani, consilia ex successibus, & fidem ex fortuna ponde-
rantes, indignabantur, graue imperio onus ab eodem impositum, inutile terræ
pondus, filium Wenceslaum, malo consilio datum successorem. Inter has of-
fensas publicatæ, ac voce & scriptis, ad posteritatis memoriam propagatæ, Caroli
infamiae delendæ non satis fuerunt summa ipsius merita, clarissima studia, nec non
salutaria instituta, quibus reliqua Germanici imperii integritas, ordinis dignitas,
ac publica libertas, & securitas sustententur: nec alterius filii, Sigismundi impera-
toris, summa gloria extinguere, vel obruere potuit fratris turpitudinem, & pater-
næ culpæ speciem. Vbi cæteri principes excusate peccant, & ex status ratione,
veniam, ex temporum necessitate laudem interdum sunt consecuti: Carolus crimi-
na patrare iudicabatur, æterna infamia expianda. Ac ipsa recte facta omnia,
indubitataque laudes oblitteratæ pene fuissent, nisi contigissent ei scriptores do-
mestici, fide digni, & idoneis documentis PATRIS PATRIÆ memoriam poste-
ris probabilem reddentes.

II. Obfuit autem maxime Caroli famæ *Theodorici de Niem*, historici illius
temporis, autoritas: quem (c) *Simon Schar dius* inter scriptores optime de *Ecclesiæ*
meritos, quique *maio rem veritatis, quam pontificum reuerentiæ rationem habuerunt*,
collocat, pietatem, probitatem, & integritatem in toto eius opere elucere, testatus.
Hic in ea historiarum suarum parte, quæ *Nemoris unionis labyrinthus* inscribitur,
de principe isto (d) scribit: *Ecce Carolus IV. nominatus Augustus, & Boemorum*
rex, hypocrita insignis, & avaritia alter Marcus Crassus, ac vicarius imperii, tempore
Clementis Papæ VI. & Caroli regis Francorum, o cum quali pertinacia, & calliditate
ad imperii culmen ascendit? Et ecce quales fructus attulit illi? Post quæ verba im-
minuti Carolum reum facit Imperii, partes recensens ab eodem alienatas; nec non
fractæ antiquissimæ & laudabilis *ordinationis* inter electores: quamobrem *perpe-*
tue scissuræ autorem illum esse dicit: & cum plura, quæ ad ipsum & filium Wen-
ceslaum criminandum pertinent, enarrauit, electores etiam Imperii grauer re-
prehendit, atque avaritiam, studium factionum, & clandestina fœdera illis obiicit.
Vel ex hoc satis constare puto, quodnam ista scribentis sit institutum? videlicet,
quod ipse profitetur in (e) præfatione *Nemoris unionis*, representare *Romani impe-*
rii

rii generale opprobrium, & contemptum in capite & in membris, suscitata & exorta ex corruptelis, vitiisque Papatus. Quæ dum infectanda sibi proposuit *Niemius*, summis Europæ principibus, Imperatori & electoribus, quos *gloriosis & diuitiis regibus conformes* vocat, irascitur, quod in altissima fortuna constituti Paparum impotentia se reddant obnoxios, atque, vt suis quisque commodis seruiat, Papali omnes seruiant libidini; ac hoc pacto Imperii dignitatem prodant, & Papis conculcandam præbeant. Augebat Carolus istiusmodi ingenii morisque, *Niemio* inuisi, suspicionem factitando, quod *symboli* loco vsurpabat, illud nimirum *Plinii secundi*: *Optimum est aliena insania frui*: dum cedebat impotentia Papali. Superiorum imperatorum, qui hanc frustra oppugnaverant, & temere pugnando prouocauerant ad plus nocendum rebus Germanicis, territus exemplis, & suorum temporum casibus eruditus, cum callidus rerum ciuilium, & præsentium temporum esset æstimator, statuerat cedendo, & cunctando restituere vulneratam Imperii causam, illiusque Imperatoris sequendo consilium, qui autoribus suaribusque repetendæ a Romanis præsulibus Italiae respondit: *Vestigia me terrent*: relinquere potius partes insanabiles, quam superuacuo vniendi conatu reliquum pessundare Germanici imperii corpus: quod pacando, & ordinando rectius, quam pugnando, & amplificando sanare & fouere; ac legibus magis, quam armis ornare se posse credebat, expertus ipse, cum vitæ fortunarumque periculo maximo, longi illius certaminis Lombardici tempore, cui adolescens cum patre Ioanne interfuerat, & aliquandiu præfuerat, quam difficulter vindicentur occupata ab Italis dominia, & quam ægre retineantur vindicata? Carolini itaque consilii ratio, & rerum status cum minus forsân perspecta fuerunt *Niemio*, intuenti saltem Romanæ curiæ improbitatem, & præsulum scelera atque flagitia, horumque optanti, & deposcenti vindicem: deesse officio visus est bonus princeps. Quare non est mirandum, in tanta suspitione fraudis & malarum artium, a cordatis etiam eius temporis viris, Papalis impotentia pertæsis, culpata esse Caroli studia, & facta; & quæ ab inimicis, æmulisque iactata in eum sunt, habita pro veris, & mandata litterarum monumentis. Taceo, quod Ruperto, Carolinae soboli substituto Imperatori, additum se ostendit *Niemius*.

III. Eius nihilominus autoritatem sequuntur non historiarum solum; sed & publici iuris scriptores, doctoresque magni nominis. Inter hos non modo celebris (f) *Burgoldensis*; sed *Benedictus* etiam (g) *Carpzouius*, nitens fide quorundam historicorum recentiorum, maxime *Crusii*, *Dubrauii*, & *Egnatii*, repetentium, quæ *Theodoricus de Niem* memoriæ prodidit de Carolo, ab hocalienatum ab imperio regnum Arelatense prandij gratia, & substitutum Wenceslaum successorem filium dege-

(f) *Dist. ad Instr. Pac. P. III. p. 3. 4. edit. 1669. in 4. & Colleg. Iur. publ. P. III. p. 70.* (g) *Com. in leg. reg. c. VII. p. 163.*

degenerem, affirmat. At vero dudum *Conringius*, quæ de alienato hoc regno Arelatensi, & Italiae partibus Carolo vulgo obiiciuntur, diligenter (h) refellit. *Limneus*, id Carolum egisse, aperte (i) negat. In *Vitriarii Institutionum iuris publici* (k) *Notis* summa iniuria fieri dicitur Carolo IV. ab iis, qui alienatum Arelatense imperium ad illum referunt; totumque hoc negotium idoneorum scriptorum fide & autoritate expenditur, & erudite excutitur. De nonnullis aliis vitiis, & criminibus obiectis purgat eum paullo ante laudatus (l) *Limneus*; & locum ex Gallicani historici regii, *Dupleix, Historia vniuersali* in testimonium citat, quo ostenditur, fictam esse fabulam, quod *Theodoricus de Niem* de Arelatensi regno, pro conuiuio Ludouico Andegauenſi dato, scripsit; ac dudum, ante Carolum IV. regionum istarum tractum suis paruisse dynastis, & his extinctis ditionis factum Gallicanæ.

IV. Male tamen de Imperio meritum Carolum substituendo sibi successorem filium turpissimum, Wenceslaum, crimen adeo vulgatum est, & tam manifestum vulgo creditur, vt nulla eius excusatio reperiri posse, & vno hoc facto integritas reliqua omnis grauissime violata videatur. Manauit hæc criminatio in annales vulgares. Ita *Daniel Angelocrotator*, dum, virum cætera egregium fuisse, scribit, Carolum, vnum hoc vitio veritit, & *exemplum maxime improbandum* (m) iudicat. Neque probari posse vlla ratione videtur consilium summi Imperatoris, nec patriæ solum, sed populorum patris, in tanti imperii spem natum non rectius & religiosius educantis, vel, si indolis prauitas repugnauerit culturæ, non vincentis affectum paternum, aliumque melioris spei, qualis erat alter filius, Sigismundus, non substituentis deteriori. Et certe varie, & grauiter peccatum hic poterat videri, vel negligendo principis iuuentutis recte educandi rationem: quæ principalium curarum summa esse debet: vel indulgendo vitiis, & licentiæ primæ ætatis: quod priuatis hominibus turpe est: vel deligendo ad tanti imperii dignitatem ineptum & inhabilem, desperatæque prauitatis adolescentem: quod publica, & summa iniuria est, ad posteritatis damna pertinens. Verum enim vero & huius rei facilis & prompta est defensio, si educationis, qua Wenceslaus vsus est, ratio, & rerum gestarum, post susceptum imperium, specimina ex autorum idoneorum monumentis excutiuntur. Ab horum fide si requiris Wenceslai tirocinia, & primæ institutionis successum: *Bobuslaus Balbinus*, rerum Bohemicarum scriptor diligentissimus, puerum eum, (n) affirmat, & adolescentem *magnas de se spes concitasse, & magistris optimis in disciplinam traditum, eorum, & præcipue patris votâ superasse: artes liberales omnes percepisse feliciter, & quasi ingenio, vel memoria iam ante inclusas exposuisse.* Et *Chronici magni Belgii* autor, *M. Edmundus*, testatur, *omnes eum Europæ*

(h) *De finib. Imp. L. II. c. 20. 24.* (i) *Obseruat. in Aur. B. Obser. V. ad Proæm.* (k) p. 32. edit. 1689. (l) *I. cit.* (m) *Rat. temporum L. IX. p. 565. edit. Francof. 1611.* (n) *Miscellan. Bohem. Dec. I. L. VII. Sect. II. c. 3. p. 170.*

linguas calluisse. Quod si in imperii aditu, & primis temporibus, etiam post fata patris Caroli, spectes Wenceslaum: non desunt scriptores idonei, præter laudatum *Edmundum, Weleslaunus* nimirum, & *Henelius, Breslographie* autor, qui, multa eum laude digna fecisse, commemorant, *negotia imperii* confecisse, *schisma periculofum* & *difficile inter tres pontifices, quod uniuersam ecclesiam lacerabat, & scindebat in partes, autoritate, litteris, & armorum comminatione* extinxisse: obiisse *Germaniam: Coloniae & Moguntiae antistites* consuluisse ipsum *per sese, & principum Imperii consilia* audiuisse: *denique omnes numeros boni principis* expleuisse. *M. Edmundus*, cui familiarius Wenceslaus notus erat ex aliquot legationibus, quas ille ad hunc a Belgicis principibus obierat, etiam tum, cum degenerare cœpit, ut *sedulum* aliquandiu, & *ingeniosum* describit. Luculenta hæc sunt indicia religiosissimæ educationis. Nec melius Carolus Imperio consulere potuisset, quam commendando talem successorem: nec aptiorem vllum alibi inuenisset, quam hunc domi finxit. Adeo non peccauit Carolus talem filium vel educando, vel successorem constituendo.

V. Vnde ergo, inquis, iniecta est principis tam boni, tam industrii animo vercordia, consiliis factisque prauitas, moribus fœditas, & toti vitæ infamia summa, etiam patris merita pene obruens? Digna certe res, de quo sollicitæ quæretur; & cuius ratio inuestigata notetur in exemplum! Perpetuum hilarioris ætatis, in alta & pingui fortuna constitutæ, malum: quo Salomo ex diuinæ sapientiæ præsidio, Nero ex Senecæ & Burrhi disciplina, & prouidentia, post clarissima probitatis edita specimina, acti sunt in præceps: voluptas nimirum, & ludionum consuetudo, bono huic principi fraudi fuit. Funestæ huius corruptelæ occasionem ex codice MSo supra laudatus *Balbinus* (o) commemorat: videlicet *regem Angliæ, Richardum, qui Wenceslai sororem in coniugio habuit, horum malorum causam præbuisse, cum Wenceslao petenti aliquid, quo se oblectare, & tempus fallere posset, ludiones & histriones misit: his illum se impendisse, & ex eo tempore totum mutatum, a curis regnorum abhorruisse, otiosi, helluari, & fastidita vxore mulierum aliorum amoribus irretiri; ac inde in crudelitatem, & hominum innocentum lanienam labi cœpisse.* In tantum nefas a blanda voluptate, cuius licentia non vulgaribus patrocinii defenditur, pronum esse lapsum, autoritate *Ambrosii* luculente (p) ostendit idem *Balbinus*. Vsq; adeo Germanicæ frugalitati, & Bohemicæ seueritati tunc obsuit peregrini moris imitatio, & admissi nequitæ administri. Carolus autem vt a corruptelis ipsis longe abfuit, vt pote admissis post eius fata: ita, ab earum culpa & infamia remouere eundem, par est.

VI. Purgatum itaque Imperatorem nostrum de præcipuis, quæ ei vulgo obiciuntur, criminibus, *Melanchronis & Chemnitii* iudicio, inter bonos principes referendum esse, facile intelligitur; etiamsi, humani aliquid ab eo admissum esse,

con-

(o) *Ibidem* p. 175. (p) *Ibid* p. 176.

constet. Et quomodo mundus ferre potuisset criminis omnis expertem summum regem, cui vilissimi serui mediocri pietas intolerabilis est? Tanta igitur eius credi potest virtus, & integritas, quantam capere potest & homo, & illorum temporum princeps; quantamque pati possunt homines: quorum maxima semper pars vera virtutis laudi tam est infesta, quam ab eius studio aliena. Admiranda prorsus eius merita visa sunt plerisque scriptoribus domesticis, qui vitæ eius historiam condiderunt, a *Balbino* (q) laudatis; sed nec obscura eorum apud alios est prædicatio, etiam tales, qui, quod illis laudandi fuit materia, studium videlicet nimium in populares, querendi, & culpandi causam sibi esse putarunt. Huius generis scriptoribus quæ exciderunt, vel veritas expressit, Caroli elogia dum (r) colligit. *Linnaeus*: audit ille vir religiosus, patronus & cultor iustitiæ, miles strenuus, doctus & multarum linguarum peritus, studiorum cultor, & litteratorum fautor. Conuenire non modo hæc in eum, facta, & instituta eius loquuntur: quæ referre non est huius loci: sed sustentata etiam pio sanctoque proposito fuisse, fidem facit scripta illa ad filios, Wenceslaum & Sigismundum, *Parancs*, historie (s) vitæ illius, cuius ipse autor est, præmissa. Quam non vulgarem sanctæ intentionis significationem hæc ipsius scriptio præ se fert? *Cum regnabitis post me*, inquit, *decorati diademate regum, mementote, quod & egorexi ante vos, & in puluerem reductus sum, & in lutum vermium.* Similiter vos cadetis transeuntes, ut umbra, & velut flos agri. Dum ita pergit, quam damnat nobilitatis, & opum fiduciam? quam extollit potestatem, qua filii Dei fieri possumus, per Christum nobis comparatam? quam horatur ad capeffendam, recteque vsurpandam hanc potestatem? quam inculcat sinceri in Deum amoris, sapientiæ, & caritatis præcepta? quam dehortatur ab auaritia? quam deterret a peccando, superbiendo, luxuriando, lasciuendo, otando? quam commendat verbi Dei meditationem? idque eo dicendi genere, quod plenum diuinis litteris, & spiritu animum, sensumque satis indicat? Ad hunc religionis pietatis sensum puerum se adhuc, cum in Gallia versaretur, *Petri* alicuius *Le-mouicensis* sermonibus ita excitatum esse, ipse in *Vita* sua scribit, ut admiratus sit, vnde tanta gratia ex homine isto sibi infusa sit? seque ex eo tempore vsurum illius amicitia, & institutione, & sub paterna eius indulgentia Sacram Scripturam percepisse. Huius studium ætatis progressu, & inter senatorias curas, eum non abiicisse, patet ex *Ioannis*, Archiepiscopi Pragensis, (t) oratione funebri. Ut bene notum est, inquit, ita doctus fuit, ut sciens & magister in theologia putaretur. Nam Psalterium in aliquibus locis pulcherrime exposuit: similiter & Euangelia, & Orationes, & alia magistralia. Similiter commentabatur sæpius cum magistris, doctoribus, & aliis scientificis conferebat disputando. Quapropter Studium Pragensis fecit, & quam plura

colle-

(q) *Ibid.* c. 2 p. 161. (r) *In A. Bal. Obseru. ad Proem. V.* (s) *Fræheri Script. rer. Bohem.* p. 87.

(t) *Ibid.* p. 110.

collegia. Memorabile fuit somnium, quo illi libidinis & luxuriæ iuuenilis atrocitas est (u) repræsentata, non sine singulari diuinæ prouidentię & gratiæ documento. Ita confirmatus in sancto vitæ proposito, & viro Christiano digno seueriorum morum habitu, ad quem adhuc puer diuinarum litterarum disciplina erat formatus, hunc tam constanter per reliquam vitam retinuit, vt damnaret ludicra voluptatum oblectamenta; & *taxillorum lusum odiosum* (x) appellaret, & *furibundum*. Hunc enim vt insectandi liberius occasionem haberet, ex eo ortam inter Hungariæ regem & Hollandiæ comitem simultatem in *Vita sua* historia narrauit. His præfidiis succinctum, hoc imbutum sensu, & proposito, ac his moribus compositum, Carolum non est mirum, tantis, quæ suscepit, negotiis, tamque illustribus, quæ patrauit, factis, parem fuisse.

VII. En summu principum, & nobilium virorum decus, ex studiis factisque Caroli IV. pendendum! Id cum facere iuberem alumnos meos, in enatranda historia in tunc Imperatore incidens, autor sui & suar excutiendæ vitæ factorumque Carolinorum, & capiendorum ex iis documentorum, in quo sita esse, & spectari debeat vera nobilitatis laus? atque hæc complectendi & explanandi sermone publico. Hoc facere aggressus vere huius anni incipiente, patricii generis, & bonæ spei adolescens, *Io. Franciscus de Barchaus, Francofurtanus*, CI ASSIS SELECTÆ in alterum annum alumnus, omni industria confecit in hanc sententiam declamationem. Cui in proposito recitandæ cum tunc domestica ratio obstaret, ob quam illi discendum erat, antequam solennis panegyris commode posset conuocari; nunc autem LVSTRATIONIS initia aliquid publici sermonis poscunt: denu hoc argumentum elaborandum, & repræsentandum sibi deposcit adolecens ingenio & studiis egregie florens, & CLASSIS SELECTÆ per integrum biennium alumnus

FRIDERICVS GVILIELMVS IACOBS, GOTHANVS,
elaboratamque suo Marte, & non contemnenda industria orationem

de

*principum & nobilium virorum precipuo decore, videlicet eruditione,
sub exemplo CAROLI IV.*

publice recitabit. Cuius generis autem esse oporteat eruditionem, principibus & nobilibus viris dignam, cum pia nimirum vi æ proposito, & virtute, nec non accurato bonæ conscientiæ studio coniunctam, ostendent duo EIVSDEM ORDINIS alumni, indole & studio, um progressibus satis spectati,

IO. BENIAMIN HVHN, WALTERSHVSANVS,

de

*irritis magnæ eruditionis viribus ad vitam cum virtute transigendam,
sub exemplo DIDII IVLIANI;*

&

IO. GEORGIVS STARCKLOF, ESCHENBERGENSIS,

de

vi conscientia in utramque partem, peroraturi:

idque in AVDITORIO CLASSIS I. D. XXIX. IVL. HORA VII. ANTE MERIDIEM. Quorum iuuenum studiis, & conatibus vt faueant ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI PATRONI, FAVTORES, ET AMICI, & præsentis LVSTRATIONIS auspicio fausta & fortunata esse iubeant, ea, qua par est, obseruantia rogantur. PP. Gothæ c10 1000 IV. D. XXVI. I. IVL.

(u) *ibid.* p. 93. (x) *ibid.* p. 104.

LITTERIS REYHERIANIS.

n.c.

